

tiumque dictae Civitatis in ulteriorem pertractationem in proxima Regni Diaeta assumpturam; Interea vero, apud Militarem Jurisdictionem Confinii Carolostadiensis efficaciter disposituram, ne praefatae Civitatis Incolae, propter sumptum ad Diaetam Recursum, ulla molestia afficiantur.

*De Reincorporatis Partibus Maritimis.*

Articulus 61.

Cum gloriosae Memoriae Imperatrix et Regina Apostolica, ad effectum numerosarum eatenus sancitarum Regni Legum, partes maritimas Regno Croatiae, ad quoad ab olim spectabant, ac per eam Sacrae Regni Hungariae Coronae postliminio reincorporaverit, ut itaque hujus memoria ad seros posteros transmittatur, Urbs vero Buccari cum Portu Regio et Buccariensi, tamquam Urbs commercialis et Portus Liber, in Statu suo Privilegiali conservetur, cum benigno Suae Majestatis annutu statuitur.

*De petita plagae inter Viam Carolinam et Josephinam, Jurisdictioni Politicae Resignatione.*

Articulus 62.

Erga demissam Propositionem Statuum et Ordinum clementer annuit Sua Majestas Sacratissima, quod, quoad petitam viae commercialis Josephinae cum tota, hanc inter et Viam Carolinam iterjacentem plagam, politicae Jurisdictioni Resignationem, Commissionem e Statu Militari et Politico mixtam, mox terminata hac Diaeta ordinare, objectumque isthoc in ulteriorem pertractationem, in proximis Generalibus Regni Comitibus, assumere velit.

*De Generalatu Varasdinensi, Terreno item Repas et Diverticulo Ketel.*

Articulus 63.

Ad demissum Statuum et Ordinum Postulatum, ut Articulorum 113. An. 1715. nec non Art. 13. An. 1751. quoad Terrenum Repas (huc intellecta etiam controversia quoad Diverticulum Ketel,) et aliorum effectus procurari possit; Sua Majestas Sacratissima benigne declaravit, quod Commissionem mixtam suo tempore ordinatura, atque per eandem super omnibus ad rite pertractandum ac decidendum hocce objectum circumstantiis, demissam relationem sibi exhiberi iusura sit.